



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET  
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||  
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstae Trevirorum**

**VD16 B 5530**

Sexta Causa est, Luxuria, seu carnis voluptas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41113**

dem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

6 causa,  
Luxuria.

Sexta Causa est, *Luxuria, seu carnis voluptas.*

**H**AEC multum efficax est ad hominem capiendum & detinendum. Sic Balaam, cap. 24 & 25. in lib. Numerorum: filios Israel mediante fornicatione cum filiabus Moab, induxit ad idololatriam. Hoc enim vitium sapientes & insipientes, ignobiles & potentes deiicit. Quis enim Salomone sapientior, & Samsone fortior? & tamen vtrunq; vicit luxuria: bene ad hoc propositum facit illud Ecles. 19. Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes, & luxuria Salomoni causa fuit colendi Deos alienos, vt constat ex lib. 3. Reg. ca. 11. Tobia. 6. Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus Dæmonium præualere potest. Hi namq; qui cōiugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos. Quomodo hoc peccatum non solum causa incidendi, sed etiam perseuerandi in malo sit, optimè ex sacris literis tradit Gulielmus Peraldus, Episcopus Lugdunens. in summa virtutum & vitiorum, tomo 2. tract. 3. ca. 3. Atq; id Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 39. satis etiam attestatur, dum ait. Maximè per  
carnis



carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quàm per cætera vitia. Dæmones scientes pulchritudinem esse animæ, castitatem, & per hanc hominem angelicis meritis, è quibus illi lapsi sunt, coæquari, liuore percussi inuidiæ, iniiciunt per sensus corporis, opus desideriumq; libidinis, quatenus à cælestibus deorsum deiectam animam pertrahant, secumque quos vicerint, gloriantes ad tartara ducant. Nouit optimè Dæmon, vehementissimum esse carnis ardorem, & animum, quem occupauerit, non facile liberari. Etenim vt S. Ambros. ait in cap. 4. Luca. quasi clavis quibusdam suffigitur anima corporis voluptatibus, & cum semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, vnde descendit sine Dei fauore reuolare. Actuum enim suorum vineta laqueis, & deliciarum secularium illecebris obnoxia iam tenetur. hæc Ambrosius.

Septima est, *Execratio, vel maledicendi siue imprecandi rabies.*

7. *Causa, maledicendæ rabies.*

QVOD quidem peccatum multis vsitatissimum est, vt minima occasione & aduersitate oblata, se suosq; Dæmonibus & diris omnibus deuoueant; & tunc aliquando iusto Dei iudicio malum euenit, quod imprecantur. Quare Prouerb. 8, dicitur: sicut avis ad  
alta